

poris videretur inutilis, quoniam licet tempore procedenti se fatigassent laboribus et expensis, maiores tamen laudes pro reversione sunt consecuti.

Eodem anno frugibus iam missis in orreis et uvis incipientibus colorare, statutum est, ut de medio tolleretur castrum quod Selvole dicebatur, ultra miliaria quatuor a Senis non distans. Locus amenus et penitus inexpugnabilis; locus regionem defendens, locus transeuntibus inimicis prohibens iter et omnibus de vicinia: inter cetera potestate in proverbiis hoc modo in contione didicente (*sic*), hac scilicet ratione, ne per negligentiam desisterent ab inceptis.

*Lug. luit. J.*

« Gestarum rerum fama non confert, operibus remanentibus inexpletis, Odibiles Deo sunt et gentibus in derisum, vaniglorii et verbosi; et est silere sepe utile, et dampnoscum valde verbis sterilibus uti. Aqua in estate deficiens, licet superhabundet in yeme, non dicitur naturalis. Apud Deum et homines obsequiorum inceptor, nisi perseveraverit, amittit utique quod incepit. Non licet otiositas imparatis; quoniam induitiis plerumque fortuna recedit. Omissus prodest subdere calcar equo, quoniam obliviouscens otii, celeritatem querit. In stadio currens frustra laborat, nisi sic currat, quod bravium apprehendat. Expedit igitur tollere moras et inceptum perficere cum honore, ac accedere festinanter, quod iam incipit expirare; ne reputemini ut auditores et non factores ingeniare sermonibus universos, et singulos peroptantes ».

Quibus dictis, pervenerunt ad locum victoriosum ducentes carrociū, et cum diu residissent circa illum, et non conferrent projecti lapides cum manganis super muros, nec operaretur virtutem suam ignis sepe projectus, et habitantes dicarent non parere; novissime foderunt ripas, et subintrantes muros castri, inciderunt ipsos et turrim; absconde valde operantes artificium. Et cum inciperet mori morte simili qua mortuum fuerat Mortennanum, furtive exierunt noctu stantes in eo, respicientes tempus quo pluviam dabat celum, immoderatam grandinem cum eadem. Nichilominus quadrigenti capti sunt per custodes. Et est castrum a radicibus prorsus evulsum. Versu habente locum :

In silvam versum cernas vi Silvole mersum (1).

*Lug. luit. K.*

Anno sequenti proximo, cum senenses in astutia durarent, tanquam brittoni qui regem adhuc expectant (*sic*) dicuntur Arturum; proposuerunt Florentini comitatum eorumdem pro parte maxima devastare, ut affecti contumeliis et fame, parerent; potestate cetera hoc modo dicente:

*Lug. luit. L.*

« Extraneum quippe compellimur aggredi et inusitatum prorsus: vincere iam virtutē et interficere semivivum. Oportet presentialiter rapere non defensum, ut eorum quae defendi posse videntur murorum artificio novo, attenuatis propter famem virtutibus defendantium, sit occupatio levior et in eis aptior ingressus considerantes; quod arbor arescit raro tamen, nisi cesa securibus vel excoriata corticibus circumquaque ».

Preconatrix igitur campana sonuit et ne tamquam furis in nocte florentinorum diceretur adventus, dies certa nichilominus nuntiata, precone dicente: « Inimicis et

(1) Oltre il castello di Selvole, presero i Fiorentini, e distrussero fino ai fondamenti l'altro chiamato Querciagrossa, come si ha dal Malispini e dal Villani.